MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80408-7

AUTHOR:

BETHGE, RICHARD

TITLE:

DE SEPTEM ADVERSUS THEBAS FABULAE...

PLACE:

BERLIN

DATE:

1890

Master Negative #

91-80408-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Bethge, Richard,
...De Septem adversus Thebas fabulae Aeschyleae episodio altero scripsit Ricardus Bethge. Berlin, Gaertner, 1890.
23 p. 25½ cm.

Wissenschaftliche beilage zum programm der Vierten städtischen höheren bürgerschule zu Berlin...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-13-92 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Wissenschaftliche Beilage zum Programm der Vierten städtischen höheren Bürgerschule zu Berlin. Ostern 1890.

De Septem adversus Thebas fabulae Aeschyleae episodio altero.

scripsit

Ricardus Bethge.

BERLIN 1890.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.

1890. Programm Nr. 111.

Tractabo difficillimam fabulae partem, quam omni mendorum genere sive librariorum incuria sive interpolatorum fraude illatorum inquinatam esse viri docti docent, partem igitur eam quae septem speculatoris totidemque Eteoclis orationes continet. quas ad pristinum et genuinum splendorem reducere conatis viris doctis summus dissensus ortus est: hoc plerique intellexisse sibi videntur Aeschylum rem ita egisse ut unicuique orationi regis totidem versus tribueret quot nuntii antecedenti orationi, hoc autem inter eos ambigitur, quomodo medella quam lenissima adhibita aequabilitas illa etiam in eis orationum paribus, quae, qualia in codice extant, ab ea abhorrent, restituatur. neque vero omnino nemo est qui neget ab Aeschylo illam singularum orationum responsionem profectam esse. atque primus quidem, si nobis licet Heilandii et Prienii curas, quorum ille in programmate Stendalensi anno 1855 edito, hic in programmate Lubecensi a. 1856 edito rem tetigit, silentio praeterire, Friedericus Ritschelius commentatione Fleckeiseni annalibus (77, 761—801 = opusc. I, 300—364) inserta illam aequabilitatem evincere studuit. post Ritschelium, qui, ut solet, summo animi acumine, summa iudicii elegantia suam causam dixerat, eandem rem tractavit G. Dindorfius (Philolog. 16, 193—233) vir in primis graece doctus, sed in exercenda arte critica desultori similior quam philologo. paulo felicius res cessit Weilio, qui de hac re in Fleckeiseni annal. vol. 77 p. 836—838 obiter disputavit et postea rationibus accuratius expositis in sua fabulae Septem editione, et Keckio (Fleckeis. annal. vol. 81 p. 809—864).

Pauci reperiuntur, qui his viris publice refragati eam, quam nonnulla orationum paria praebent, inaequabilitatem ab Aeschylo profectam esse contendant. silentio praetereo quae Engerus in Fleckeis. ann. 75, p. 52 sqq. contra Prienium monuit. doctius sagacius elegantius Heimsoethius egit in libro, quem de Aeschyli fabularum restitutione Bonnae anno 1861 in lucem edidit, cum passim tum p. 436—449: qui locum quemque corruptissimum tum egregie expedivisse sibi videtur, cum e scholiastis glossographis grammaticis verba obsoletissima quam plurima in eum congessit, qua re vereor ne Aeschylus ille Heimsoethianus Lycophroni similior factus sit quam Aeschylo Euphorionis filio. post Heimsoethium Ernestus Martinus in dissertatione 'De responsionibus diverbii apud Aeschylum' Berolini a. 1862 edita p. 37—56 Aeschylum de orationum responsione non cogitasse demonstrabat. idem iudicarunt Richterus (Quaestiones Aeschyleae. dissert. Berol. 1878) et paucis ante annis A. Roehleckius in libello, cui inscripsit 'Septem adversus Thebas et Prometheum vinctum esse fabulas post Aeschylum correctas' (dissert. Berol. 1882).

Nos rem ita agemus ut primum ea orationum paria in quibus responsio vel libri manu scripti memoria traditur vel argumentis probabilibus videtur demonstrari posse, deinde reliqua

nulla opinione praesumpta examinemus. antea autem quam ad singularum orationum rationes perscrutandas accingamur, alia res non levis momenti nobis consideranda est.

Eteocles postquam verba v. 265—269*) ad virgines Thebanas fecit, ad moenia urbis abiit ut in singulis portis excepta septima, quam ipse ab hostium impetu defendere statuerat, ducem aliquem Thebanum ut praesidem et defensorem collocaret. hoc munere igitur, cum stasimo altero a puellis cantato in arcem redit, ut speculatorem maneat nuntiaturum, qui Argivorum dux quamque portam aggrediendam sortitus sit, eum perfunctum esse ut per se manifestum est ita e certissimis et nulli dubitationi obnoxiis partis insequentis locis vv. 431. 456. 488. (536.) 638 concluditur, quibus si alii perpauci loci vv. 391. 455 obstant, certa emendatione iam sanati sunt. nunc quaeritur, quomodo factum sit, ut hi versus (391 et 455) a librariis temerarentur fictione nova illata genuinae Aeschyli fictioni prorsus contraria, in hac demum fabulae parte Eteoclem nuntii verbis auditis singulis portis singulos duces Thebanos, qui defenderent patriam, destinare. qui usquam tragoediarum scriptor personam aliquam fecit e scena abeuntem, ut aliquid ageret, et, postquam egit, redeuntem longo interposito temporis spatio nisi ita ut illa spectatores moneret se id, quod ut ageret antea abierat, re vera egisse? vestram fidem, *ἄνδρες κριτικώτατοι*, qui quovis in loco de lacunis et interpolationibus cogitatis, nonne vidistis lacunam illam late patentem duorum versuum, quae est inter v. 359 et v. 360? mihi certe persuasissimum est neque vereor ne quis semel monitus neget, quandoquidem adventu et speculatoris et regis eodem temporis momento intrantium a choro bis ternis versibus (352—354 et vv. 355—357) enuntiato ille, quid vellet, duobus versibus declaraverit

λέγοιμ' ἂν εἰδὼς εὖ τὰ τῶν ἐναντίων
ὥς τ' ἐν πύλαις ἕκαστος εἴληχεν πάλον,

Eteoclem quoque, qua ex causa in arcem intraret, duobus versibus huius fere argumenti pronuntiasse

*σὺ λέξον· ἴσθι δ', ἐν πύλαις φερεγγύους
ἔταξα πάσαις πολεμίων εἴργειν ὕβριν.*

quibus verbis et efficitur ut spectatores sciant, quod eos scire necesse est, et restituitur aequabilitas quaedam aptissima et paene necessaria, de qua quod non cogitarint critici aequabilitatis tam cupidi miror. quod cum intellexerimus, iam supersedemus miras illas opiniunculas examinare quas multas de duobus nuntii versibus 358 sq. viri docti protulerunt; iam non dubitamus quin librarii, cum duobus illis versibus, qui nuntii verba excipiebant, casu aliquo explosis nescirent utrum rex duces Thebanos iam in singulis urbis portis collocasset necne, versus 378. 418. 453. 579. 604. 633 false interpretati versuum 391. 455 genuinam lectionem pro falsa habitam mutaverint, unde tot turbae viris doctis ortae sunt. quod cum satis dilucide explicatum mihi videatur, nunc adorior singulas orationes percensere.

Primum par orationum nihil habet offensionis, quamvis in eius locis nonnullis critici haesitaverint. nuntii oratio ab initio usque ad finem optime procedit; nam frustra sudaverunt viri docti in versibus 376 sq.

ἵππος χαλινῶν ὣς κατασθμαίνων μένει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὁρμαίνει μένων,

---

*) versus ex editione Kirchhoffiana numero.

qui recto talo stant, dummodo recte explicentur: Tydeus ab Amphiarao prohibitus cum Thebanis manus conserere, prinsquam felicia sacra facta essent, confertur cum equo frenorum vi anhelante, qui tubae sonitum manens in pugnam ferri cupit; *ὁρμαίνει* idem est atque *ὁρμᾶσθαι ἐπιθυμεῖ*, in verborum autem similium iteratione (*μένει — μένων*) nihil offensionis inesse Richterus (qu. Aesch. p. 22 sqq.) multis exemplis illustravit. *χαλινῶν μένει* etiam in Agam. v. 225 legitur; admittunt autem verba *ἵππος χαλινῶν ὣς κατασθμαίνων μένει* etiam aliam interpretationem: 'ceu equus pugnandi cupiditate in frena anhelans.' versus 376 sq. spectant ad verba

360. *Τυδεὺς μὲν ἤδη πρὸς πύλαισι Προιτίσιν*
βρέμει, πόρον δ' Ἰσμηνὸν οὐκ ἐᾷ περᾶν
ὁ μάντις· οὐ γὰρ σφάγια γίγνεται καλά,

quae non post Aeschyli tempora illata esse, quod Richterus putaverat, Roehlecke p. 14 sqq. demonstravit. Prienii commenta, qui, ut nuntii oratio, quacum vv. 358. 359 coniungebat, totidem quot Eteoclis oratio versus contineret, anno 1856 versum 375 (ut e vv. 363 sq. fictum) et v. 377, duobus annis post versu 377 vindicato versum 375 et cum Hartungo v. 359 delevit, certis argumentis iam Martinus p. 40 refutavit.

In responso Eteoclis omnia recte se habebunt, si in v. 391 verba *τόνδ' ἀντιτάξω* in *τῶνδ' ἀντιτάξω* mutaveris, quod Grotius invenit. Ritschelius, cui Weilius astipulatus est, iudicat vv. 398. 399 post v. 394 collocandos esse quippe qui versibus 395 sqq. illustrentur; optime orationem finiri versu 397. contra Ritschelium ordinem versuum traditum Heimsoethius bene defendit (in libro supra laudato p. 437 sq.), qui recte iudicat versu 397 orationem finiri non posse, sed optimam clausulam esse vv. 398 sq.: „dafs Eteocles mit der Hoffnung schliefst, nicht mit dem Zweifel (v. 397), ist natürlich".

continet utraque oratio — dummodo nuntii oratio a versu 360 ordiatur — 20 versus.

Secundum par orationum corruptelis quibusdam levioris momenti sanatis prorsus nullam suspicionis ansam praebet. nuntii narrationis versus paenultimus claudicat: *τοιῷδε φωτὶ πέμπε τίς ξυστήσεται*, quae verba, si sub severas artis leges vocentur, nullo modo explicari possunt; sin autem putes speculatorem pro audiendi cupiditate sententiae incobatae, qua regem moniturus erat ut aliquem defensorem validum et idoneum Capaneo opponeret (*τοιῷδε φωτὶ πέμπε*), oblitum subito verborum constructione mutata regem interrogare (*τίς ξυστήσεται, τίς ἄνδρα κομπάζοντα μὴ τρέσας μενεῖ;*), velim consideres, num haec loquendi festinatio nuntium deceat, cui rex modeste vel monendus est vel interrogandus. haud recte igitur Keckius lectionem traditam tuetur. silentio praetereo emendationes quas viri docti excogitaverunt; scripsit Aeschylus, nisi omnia me fallunt, *τοιῷδε φωτὶ δ' εἰπὲ τίς ξυστήσεται*, cuius emendationis ante me Richtero (p. 37) in mentem venerat, qui in eo errat quod vv. 418 sq. interpolatori tribuit, quod Roehleckius (p. 10) bene refutavit. — nonnulli verbis *πύργοις δ' ἀπειλεῖ δείν', ἃ μὴ κραίνοι τύχη* (v. 409) offenduntur, quippe quae fere eadem post v. 531 legantur. qua de causa Lachmannus Hartungus Heimsoethius versum 409 eiecerunt, contra quos Engerus recte monuit Eteoclem verbis v. 423 hunc versum respicere. — in versu 411 articulum frigide positum Kirchhoffius recte removisse videtur scribendo *τἂν* pro *τὴν*; *ἔριν* in *ἄρδιν* mutandum esse Th. Kockius probabiliter coniecit (Herm. 20, 298). ita nuntii oratio usque ad finem optime procedet.

In Eteoclis responso primus versus *καὶ τῷδε κέρδει κέρδος ἄλλο τίκτεται* nullis interpretandi artificiis explicari potest. ne Hermanno assentiamur interpretato: 'hoc lucro quod hic

iactator est accedit aliud quod ipsa illa iactatione Iovis iram provocabit', impedimur particula *καί*, quam hac ratione non explicari Heimsoethius (p. 50) perspexit. ex omni difficultate facillime nos extricabimus, si ingeniosam Heimsoethii et Keckii coniecturam adsciverimus *καὶ τῷδε κόμπῳ κέρδος ἄλλο τίκτεται*. spectat vocula *κόμπῳ* ad verbum *κομπάζοντα* in v. 419. quae emendatio, qua artissimus inter nuntii et regis verba conexus restituitur, multo probabilior mihi videtur ea quam Buechelerus proposuit, qui (in mus. Rhen. vol. XV p. 300—303) versum 420 post v. 422 transponi iussit, ut ex his verbis Eteocles orationem inciperet:

421. *τῶν τοι ματαίων ἀνδράσι φρονημάτων*
422. *ἡ γλῶττ' ἀληθὴς γίγνεται κατήγορος.*
420. *καὶ τῷδε κέρδει κέρδος ἄλλο τίκτεται·*
423. *Καπανεὺς δ' ἀπειλεῖ κτλ.*

qua transpositione sententiarum conexus, qui inter vv. 422 et 423 intercedit, deletur. — praeterea verba versus 423 *Καπανεὺς δ' ἀπειλεῖ δρᾶν παρεσκευασμένος* nonnulli temptaverunt, quippe quae neque per se intellegantur neque cum verbis sequentibus cohaereant. si quid mutandum est, equidem putaverim Aeschylum scripsisse *Καπανεὺς δ' ἀπειλὰς δρᾶν παρεσκευασμένος*, quae verba spectant ad nuntii verba *Καπανεὺς . . . . . . πύργοις ἀπειλεῖ δείν' ἃ μὴ κραίνοι τύχη* (vv. 406—409). Caetera Eteoclis verba integra sunt.

continet utraque oratio 15 versus.

De paribus tertio et quinto omnium difficillimis, cum caetera expediverimus, uberius disseremus.

Quartum par maiores scrupulos viris doctis iniecit quam paria antecedentia. ne speculatoris quidem oratio, quae mihi omni mendo carere videtur, criticorum impetum effugit. Ac primum quidem Ritschelius versum 471 *Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος* in dubium vocavit propter inauditam nominis *Ἱππŏμέδων* mensuram, qua in re nihili fecit Seleuci testimonium in Prisciani libello de metris comicorum scripto servatum (Gr. Lat. ed. Keil. vol. III p. 427): 'Aeschylus in *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας*, *Ἱππομέδοντος σῆμα καὶ μέγας τύπος*. in principio enim trochaeum posuit, quem imitans Sophocles teste Seleuco profert quaedam contra legem metrorum, sicut in hoc *Ἀλφεσίβοιαν ἣν ὁ γεννήσας πατήρ*. hic quoque iambus a trochaeo incipit.' eadem mensura invenitur in v. 530 *Παρθĕνοπαῖος* et in Choëph. v. 1046 *φαιŏχίτωνες*. Ritschelius scholiastae notula '*περιφραστικῶς ὁ Ἱππομέδων, μέγας ὢν καὶ κάλλιστον ἔχων σχῆμα*' abusus partim e Porsoni coniectura scripsit *μέγ' Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ καλὸς τύπος*, non sentiens, quam alienus a tota Hippomedontis descriptione illud *καλὸς τύπος* sit, quod merito Richterus (p. 11) vituperavit; sed ne metro quidem Ritschelii coniectura satisfacit: neque enim in trimetris Aeschyleis anapaestus deprenditur nisi in primo pede. recte igitur tradita libri lectio sese habet, Seleuci auctoritate confirmata. — in versu 475 pro *ὤπασεν* Th. Kockius (Herm. 20, 298) et Stadtmuellerus (Fleckeis. annal. 127 p. 726) *ὤχμασεν* haud scio an recte scripserint. — versus 478 sq., qui, quales in libro scripto leguntur, vix intellegi posse videntur, recepta Richteri emendatione lenissima optime procedent: *ὄφεων δὲ πλεκτάναισι περίδρομος κύτει προσηδάφισται κοιλογάστορος κύκλον.* Keckius, ut haec nuntii oratio numero versuum eodem atque regis responsum contineretur, cum revera lacunae indicium nullum esset, argumentis ex arbitrio petitis Typhonis descriptionem breviorem esse quam pro Aeschyleae poësis grandiloquentia ratus iudicavit post v. 478 tres versus, post v. 479 duos versus excidisse, quorum argumentum versibus

theodiscis satis ridiculis ipse exprimit. quae commenta Richterus redarguit p. 17 sq. eodem aequabilitatis studio commotus Weilius post v. 471 versus duos, quibus alia Hippomedontis arma ingentia, fortasse galeam, commemorata fuisse suspicatur, post v. 477 unum versum, quo Typhonis corpus clipei medium locum obtinuisse dictum fuisse putat, post v. 479 iterum duos versus excidisse censet, quibus numerus vicenarius (viginti enim versus regis oratio habet) expleretur; quas nugas confutare nolo. — Prienius et Dindorfius, qui ex oratione Eteoclis ultimos sex versus expulerunt, ita ut quattuordecim relinquerentur, versum 483 *φόβος γὰρ ἤδη πρὸς πύλαις κομπάζεται* multorum emendatiunculis, quarum nulla mihi probatur, temptatum in exilium miserunt, ne maioris ambitus nuntii oratio esset quam regis: haec iudicandi libido est; nam versus 483 nisi ex aliis causis suspicionem movet quam quod aequabilitati illi, quam Prienius et Dindorfius sectantur, obstat, profecto servandus est. si quis ullum versum interpolatione illatum esse contendit, ei demonstrandum est illum versum aut a sententiarum nexu aut a scriptoris usu dicendi alienum esse; sed versus 483 arte cum versu antecedenti cohaeret neque in singulis verbis quicquam invenitur, quod Aeschylo non dignum sit. evincitur igitur nuntii orationem nulli lacunarum aut interpolationum suspicioni locum dare.

Longe alia res est in responso Eteoclis. usque ad v. 496 omnia recto ordine progrediuntur; finem orationis corruptum esse summus consensus est: alteri transponendis alteri eiciendis versibus traditis locum sanare studuerunt. versum 497 vocula *πού* in *τοῦ* mutata Elmsleius emendavit. artissimum nexum, qui inter vv. 501 et 503 intercedit, interposito versu 502 deleri iam saeculo decimo quarto nescimus quis, qui codicem Laurentianum perlegit, perspiciens litteris *βγαδ* in margine adscriptis ita ordinem versuum pristinum restituisse sibi visus est:

502. *εἰκός γε πράξειν ἄνδρας ὧδ' ἀντιστάτας*
500. *εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ·*
501. *Ὑπερβίῳ τε πρὸς λόγον τοῦ σήματος*
503. *σωτὴρ γένοιτ' ἂν Ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών.*

sed versibus ita transpositis versus 500 non habet quo referatur. Brunckius, quem Porsonus Schuetzius Bothius secuti sunt, e codicibus Parisinis A B, quorum alter saeculo XIII alter saeculo XV scriptus est, hunc versuum ordinem edidit:

502. *εἰκός γε πράξειν ἄνδρας ὧδ' ἀντιστάτας·*
501. *Ὑπερβίῳ τε πρὸς λόγον τοῦ σήματος*
503. *σωτὴρ γένοιτ' ἂν Ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών.*

sed hac ratione multa, quae in versibus praegressis mira sunt, non sanantur. Keckius versus ita collocat 495. 496. 498. 500. 497. 499. 502. 501. 503. hic versuum ordo balbutientis est, non eius qui cogitate loqui didicerit. Weilius versus sic collocat 495. 496. 498. 499. 500. 497. 502. 501. 503. Kirchhoffius cum Keckio et Weilio versum 497 post v. 500 collocans, quod falsum esse postea demonstrabo, cum versum 502 inter v. 497 et v. 501 interpositum non ferri intellegeret, hunc genuinum ordinem versuum esse sibi persuasit 495. 496. 498. 502. 499. 500. 497. 501. 503. exemplum permutationis, ut mathematice dicam, videmur habere. mihi non perspicitur, quid versus 502 inter v. 498 et v. 499 collocatus sibi velit. nescio quot in posteros dies versuum transpositiones viri docti propositi sint, ut hunc locum sanent, qui, si alius, interpolatorum ineptias passus transpositionibus, quarum rationes reddere nemo scit, non potest sanari.

Aliam viam has difficultates removendi primus G. Dindorfius in editione Oxoniensi ingressus est, quo tempore nondum de orationum responsione cogitabat. versus 498—503 recidendos esse ille et post eum Prienius iudicarunt, ita ut Eteocles orationem versibus 495. 496. 497 finivisse cogitandus esset. Hermannus Dindorfio ita assentitur, ut versus 497. 500—503 ab interpolatore confictos esse putet; Hermanni sententiam Martinus (p. 43) et Richterus (p. 50) comprobarunt. atque certe hoc rectissime Hermannus sensit nimis praeruptam orationis clausulam esse versum 497 *κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά του νικώμενον*, optimam vero et quadam singulari gravitate praeditam versum 499 *πρὸς τῶν κρατούντων δ' ἐσμέν, οἳ δ' ἡσσωμένων.* neque tamen omnino Hermanno astipulor. quid, quaeso, inest in v. 497 quo offendamur? et quomodo versus 498 *τοιάδε μέντοι προσφίλεια δαιμόνων*, quem nemo unquam explicare potuit, ferri potest? quibus de causis cum Ritschelio vv. 498. 500—503 deleo et hanc genuinam orationis clausulam esse contendo:

495. *Ὑπερβίῳ δὲ Ζεὺς πατὴρ ἐπ' ἀσπίδος*
496. *σταδαῖος ἧσται, διὰ χερὸς βέλος φλέγων,*
497. *κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά του νικώμενον·*
499. *πρὸς τῶν κρατούντων δ' ἐσμέν, οἳ δ' ἡσσωμένων.*

quem versuum ordinem cum Ritschelius divinatione potius quadam ingeniosa quam ratiocinatione certis argumentis nixa ductus restituerit, meum est accuratius de versuum singulorum ratione dicere. hoc facile intellegitur versum omni paene sensu carentem 502 in eo codice, e quo codex Laurentianus derivatus est, nescio cui versui in margine adscriptum fuisse, unde per librarii errorem inter vv. 501 et 503 interiectus est, atque cum alius versus non sit quocum coniungatur, prorsus eiciendum esse. deinde si quis cum vv. 495 sq. *Ὑπερβίῳ δὲ Ζεὺς πατὴρ ἐπ' ἀσπίδος — σταδαῖος ἧσται, διὰ χερὸς βέλος φλέγων* versus 501. 503 *Ὑπερβίῳ τε πρὸς λόγον τοῦ σήματος — σωτὴρ γένοιτ' ἂν Ζεὺς ἐπ' ἀσπίδος τυχών* sine animi praesumptione comparaverit, facile concedet hos in eadem oratione atque illos ferri non posse, sed a sciolo quodam ex illis confictos esse. versus 500 *εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ*, quo impie vir summae pietatis dubitat utrum Jupiter plus valeat an Typhon, ferri non potest, nisi post eum v. 497 *κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά του νικώμενον* collocatus erit; quem si quis cum Keckio Weilio Kirchoffio huc transponet, demonstrare debet eum post v. 496 ineptum esse, sed optime eum cum versu 496 cohaerere manifestum est; eiciatur igitur versus nequissimus 500. in versibus 497 et 499 nihil inest quo offendamur, versum autem 498 *τοιάδε μέντοι προσφίλεια δαιμόνων* ut genuinum esse concedam tantum abest, ut eum contra ab insulso quodam homine Christiano confictum esse persuasum habeam, qui in veterum paganorum religionem irrideret. mirum in eo verbum *προσφίλεια* est, quod nullam interpretationem admittit quae probari possit. quod paucis demonstrabo. adiectivum *προσφιλής* semper cum dativo, qui hic ibi omittitur si e sententiarum conexu facile subintellegitur, coniunctum, si ad res refertur, plane idem est atque nostrum 'erfreulich, erwünscht', sin ad personas, aut significat passive 'beliebt' aut active 'liebreich, wohlwollend', qua significatione rarissime scriptores Attici utuntur [Thuc. 7, 86. (Plat. Menex. 248 d. Xenoph. Hell. 2, 3, 44. Mem. 2, 3, 16?)]. *προσφίλεια δαιμόνων* igitur aut 'Beliebtheit der Götter', quod absurdum est, aut 'Wohlwollen der Götter', quod ab hoc loco alienum est, significat, non admittit eam interpretationem, de qua vereor ne omnes critici cogitarint 'numinum inter se amicitia', ut Weilius interpretatur. concedere cogimur

hunc versum, quod supra dixi, ab homine Christiano quodam in margine ascriptum fuisse, unde per librariorum stultitiam in textum irrepsit. eidem homini versus 500 et 502 deberi veri simile est. recte igitur de huius orationis fine unus Ritschelius iudicavit. ei autem, qui statuendis transpositionibus totum orationis exitum, quem codex praebet, ab Aeschylo profectum esse contendunt, non sine animi praesumptione mihi videntur quoquo modo efficere velle, ne singulae orationes inter se respondeant: quorum timida erga librum scriptum pietas non minus vituperanda est quam alterorum nimio aequabilitatis studio effecta temeritas. etiam Weilius et Roehleckius, qui omnes huius orationis versus genuinos esse sibi persuaserunt, libenter concedunt latius quam expectemus ea, quae Eteocles dicit, exprimi.

utraque oratio continet 15 versus.

S e x t u m o r a t i o n u m par mihi videtur non tam corruptum esse ut illae lacunae interpolationes transpositiones, quas in eo multas viri docti statuerunt, mihi probentur. — in speculatoris oratione omnibus fere criticis vv. 554—562 offensioni fuerunt. hoc certe concedendum est versuum 559 sqq. scriptionem in libro traditam tam corruptam esse, ut, quid fere Aeschyli animo obversatum fuerit, persentiscere liceat, non liceat coniecturis, quae pro certis haberi possint, assequi. versum 560 Schuetzius videtur recte emendavisse, cum scribi iuberet *ἐξυπτιάζων ὄμμα*, in versu 559 emendando omnes operam luserunt: longum est enumerare multas emendatiunculas, quarum nulla probari potest; hoc moneo in vocabulo *ἀδελφεόν*, quippe quod in trimetris tragicis non reperiatur, criticos frustra haesitare; nam ut constat in nuntiorum narrationibus poëtas tragicos multas et formas et voces epicas admisisse ita non intellegitur, quomodo fieri potuerit ut, si Aeschylus *κάσιν* aut *κασίγνητον*, quod viri docti coniciunt, scripsisset, interpres aliquis his verbis usitatissimis illud vocabulum orationi pedestri omnino inauditum *ἀδελφεόν* ascriberet. scripsit igitur Aeschylus *ἀδελφεόν*, mendum irreparabile solo in verbo *προσμόραν* inest. — Hermannus delevit versum 556 *μέγιστον Ἄργει τῶν κακῶν διδάσκαλον* ut e versu 558 *κακῶν τ' Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον* fictum et vv. 555. 557. 558 post v. 560 collocavit. sed quis non videt fieri non posse ut v. 559 versum 554 *κακοῖσι βάζει π ο λ λ ὰ Τυδέως βίαν* excipiat? desideramus m u l t a illa convicia quae Tydeo Amphiaraum fecisse nuntius refert. quod Ritschelius perspexit, qui versum 556 delendum esse Hermanno concedens versus 555 et 558, ut par est, in suis locis reliquit et v. 557, cum putaret verba *Ἐρινύος κλητῆρα* non in Tydeum, sed in Polynicem, quippe qui bello patriae illato Furiam illam Labdacidas extirpantem evocaturus esset, quadrare, post v. 560 transposuit, atque post v. 561 *δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος* unum versum excidisse sibi persuasit, ut puta '*πολυστενάκτων νεικέων ἀρχηγέτην.*' sed inter verba *Πολυνείκους βίαν* et *τοὔνομ' ἐνδατούμενος* artissimo nexu cohaerentia versum interponi non posse Weilius recte monuit neque in Polynicem quadrare verba *πρόσπολον φόνου.* quod autem illam aequabilitatem attinet, quam Ritschelius parte conviciorum a Tydeo abiudicata et Polynici data restituendam putabat, mihi cum Weilio et Martino multo concinnius oratio ita instituta esse videtur, ut Amphiaraus in Tydeum acerbe invehatur, in Polynicem nomen male ominatum pronuntians placida oratione crimina inferat. neque rectius se habet quod Ritschelius post v. 561, quem interpretatur 'bifariam in fine orationis nomen Polynicis dispertiens', unum versum excidisse censet; neque enim de dispertiendo nomine, sed de nomine contumeliose pronuntiando illud verbum *ἐνδατούμενος* intellegendum esse Heimsoethius p. 400 sqq. demonstravit. actum igitur est de Ritschelii sententia; ne hoc quidam concedo verba *μέγιστον Ἄργει τῶν κακῶν διδάσκαλον*

delenda esse, quippe quibus verba antecedentia *τὸν πόλεως ταράκτορα* explicentur: optime vv. 554—558 inter se cohaerent, dummodo cum Weilio recte intellegantur; sed in eo tantum non omnes viri docti erraruut, quod Ritschelium secuti, qui „*Ἐρινύς* aber“ inquit „ist, so schlechthin gesagt, überhaupt nur verständlich, wenn die über der ganzen Handlung unseres Stückes waltende, durch den Ödipodeischen Fluch in Bewegung gesetzte Erinys des thebanischen Königshauses gedacht werden soll“, verba *Ἐρινύος κλητῆρα* de eo dicta esse arbitrabantur, qui hanc Furiam evocaret; sed hoc loco Amphiaraus Tydeum increpans de ea Furia cogitat, quae Tydei fraude, qui Eriphylam Amphiarai uxorem, Adrasti sororem auro corruperat, ut ad suscipiendum bellum Thebanum virum incitaret, evocata ipsum Amphiaraum perditura erat; quae verba aptissime versus 558 a Martino nulla causa in dubium vocatus excipit *κακῶν τ' Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον*, quo Amphiaraus Tydeum execratur, quod suis consiliis effecturus sit, ut rex Adrastus hac mala, cum omnium suorum tum affinis dilectissimi Amphiarai interitum, videat. in versibus 559 sqq. menda nonnulla graviora insunt, non insunt lacunarum indicia. vanas igitur esse apparet opiniones, quas de versibus 554—562 viri docti protulerunt. — in versibus insequentibus verbum *πηγήν*, quod in v. 567 legitur, nonnullis suspicionem movit; fortasse cum Seidlero *πληγήν* scribendum est. — itaque evincitur orationem speculatoris ab initio usque ad finem integram esse.

Gravioris momenti corruptelis Eteoclis responsum foedatum est. ac primum quidem Ritschelius intellexit versum 602 *φιλεῖ δὲ σιγᾶν ἢ λέγειν τὰ καίρια* post v. 601 non recte positum esse; neque enim in Apollinem, qui non *τὰ καίρια*, sed *τὰ ἀληθῆ* dicere soleat, quadrat neque in Amphiaraum, quem rex e nuntio audierat neque tacuisse neque *τὰ καίρια* dixisse. similes versus hic ibi leguntur, ut in Choëph. 569 *σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγειν τὰ καίρια*; e Prometheo ignifero Gellius N. A. 13, 19, 4 affert *σιγῶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγων τὰ καίρια*, scholiasta Aristidis p. 501 ed. Dind. e Prometheo vincto *πολλοῖς γάρ ἐστι κέρδος ἡ σιγὴ βροτῶν*, quocum velim conferas Eumen. 272 sqq. *ἐπίσταμαι-λέγειν ὅπου δίκη σιγᾶν θ' ὁμοίως*. Ritschelius perspexit hunc versum in bellatorem Thebanum, quem contra Amphiaraum Eteocles constituerat, quadrare, itaque eum post v. 607 collocavit. multo aptius autem versus 602 tamquam interpretatio versum 605 *γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φύει* excipiet, quod Weilius vidit. — quae causa Dindorfium moverit, ut v. 605 deleret, mihi non perspicitur. hoc facile fieri potuisse quivis intelleget, ut aliquis librarius, qui, quam apte versus 602 versum 605 exciperet, non sentiebat, eum aut de Amphiarao aut de Apolline dictum esse ratus post v. 601 transponeret. spectant autem verba

γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φύει·
φιλεῖ δὲ σιγᾶν ἢ λέγειν τὰ καίρια

ad nuntii adhortationem (v. 578 sq.)

τούτῳ σοφούς τε κἀγαθοὺς ἀντηρέτας
πέμπειν ἐπαινῶ· δεινὸς ὃς θεοὺς σέβει.

praeterea viris doctis versus 595 sqq. offensioni fuerunt. qui neque scholiastae explicationem admittunt *ἐπὶ τὴν εἰς Ἅιδην ἀποικίαν ἑλκυσθήσεται* (*μολεῖν τὴν ἐναντίαν τῇ εἰς Ἄργος*), neque Ritschelii interpretationem ab hoc loco alienissimam „er, den frechzüngigen Männern gesellt, die da thörichten Herzens trachten die weite Wegsendung wieder rückwärts zu wandern (d. h. die sich einbilden, wohlverrichteter Sache in ihre ferne Heimat zurückzukehren) wird, so Zeus will, mit ihnen zusammen hinabgerafft werden (zum Hades)“. cum autem aliquid simile ei, quod scholiasta dicit, necessarium sit, ne verbum *συγκαθελκυσθήσεται* non intellegatur, nullus dubito quin genuinam scripturam Heimsoethius ingeniosissima coniectura restituerit *τείνουσι καμπὴν τὴν μακρὰν πάλιν μολεῖν* i. e. *τείνουσι τὸν βίον τελευτῆσαι*, quae verba cum sublimi quadam gravitate adnexa sunt verbis *βίᾳ φρενῶν* „die dem Verstande zum Trotz trachten ihrer Lebensbahn Ziel umlaufend in den Tod zu rennen“. — Correctis his levioris momenti mendis iam ad difficiliorem orationis partem venio. nullam offensionis causam vv. 580—583 praebent. cum versibus 582 sq. *ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς — κάκιον οὐδέν, καρπὸς δ' οὐ κομιστέος* artissime cohaerent versus 585 sqq., quibus illi illustrantur. quem sententiarum conexum versus 584 *ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται* delet, quem ad sensum prorsus ineptum et ob miram verbi *ἐκκαρπίζεσθαι* significationem suspectum plerique optimo iure expulerunt. hoc dicit Eteocles: ‘nihil est malo consortio peius; pius enim vir inter homines sceleratos versatus una cum eis interit, aut in peregrinatione (585 sq.) aut in ipsa civitate (588 sqq.).’ quod Ritschelius versus 587. 588. 589 delet, tam ineptum est, ut nemo umquam, quantum scio, illi assensus sit. vide, si tanti est, Heimsoethium de hac re p. 150 sqq. disputantem. neque tamen omni mendo vv. 585 sqq. carent. in v. 586 verba *πανουργίᾳ τινὶ*, quae idem esse atque *πανούργοις τισὶ* Blomfieldus frustra demonstrabat, intellegi nequeunt; multas critici coniecturas proposuerunt, quas nolo repetere, cum earum nulla explicetur, unde vocula *τινὶ* in hunc versum irrepserit. mihi videtur extra omnem dubitationem positum esse in v. 586 mendum non inesse, sed post eum unum versum excidisse, quod Ritschelius perspexit. cui hoc non concedo versus deperditi argumentum hoc fuisse **προσσχοῦσι τὸν νοῦν ἐν φρενῶν δυσβουλίαις**, sed cum expectetur poëtam nautas illos nequitia sua interire dicturum esse, equidem persuasum habeo Aeschylum sic fere scripsisse:

585. *ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ*
586. *ναύταισι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ*
* *ἄτης ἀρούρας θάνατον ἐκκαρπουμένοις**
587. *ὄλωλεν κτλ.*

‘aut enim pius vir eandem navem ingressus cum comitibus improbis et nequitia sua e culpae agro mortem ut fructum tollentibus perit e. q. s.’ ita et verbis traditis et sensui optime consuluissi mihi videor. versui a me restituto aliquis in margine ascripsit *γνώμην*, quam aut ipse ex Aeschyli versu effinxit aut nescio unde prompsit, *ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται*. qui versus postquam, ut fieri solet, genuinum versum expulit, cum hoc loco ferri non posset, a librariis post v. 583 collocatus est. caetera regis verba suspicionis ansam non praebent; quod enim Ritschelius opinatur versum 593 *σώφρων δίκαιος ἀγαθὸς εὐσεβὴς ἀνὴρ* versu genuino deperdito ab interpolatore quodam lacunae explendae causa confictum esse, Richterus bene refutavit p. 5 sq.

utraque oratio continet 29 versus.

Venimus ad septimum orationum par. atque primum quidem regis orationem percensebo, quae quamquam integra et optime servata in libro Laurentiano traditur, tamen virorum doctorum suspiciones non effugit. offensionem praebuerunt versus 657 sqq., quibus tota oratio clauditur:

655. *τούτοις πεποιθὼς εἶμι καὶ ξυστήσομαι*
αὐτός· τίς ἄλλος μᾶλλον ἐνδικώτερος;
ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις,
ἐχθρὸς ξὺν ἐχθρῷ στήσομοι. φέρ' ὡς τάχος
κνημῖδας, αἰχμῆς καὶ πετρῶν προβλήματα.

Prienius cum id ageret, ut regis responsum nuntii orationi exaequaret, versus 658. 659 eiciendos esse sibi persuasit; sed cum versus *ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις* nimis praerupta orationis clausula sit neque in versibus subsequentibus reperiatur quo de interpolatoris additamentis cogitare cogamur, apparet Prienium opinione praesumpta in errorem inductum esse. Prienio multo audacius Dindorfius, qui nuntii orationi viginti unum versus tribuendos esse putabat, in angustias compulsus, cum regis responsum totidem versus continere vellet, versibus 658. 659 cum Prienio deletis ne versum 657 quidem genuinum esse iudicavit. nihil absurdius excogitari posse manifestum est: nam v. 656 '*αὐτός· τίς ἄλλος μᾶλλον ἐνδικώτερος;*' cui confirmationem quandam subici necesse est, totam orationem finire non potest. quam confirmationem praebent versus subsequentes 657. 658 graviores quam qui interpolatorem sapiant, in quibus viros doctos iniuria offendisse sagaciter demonstravit Roehleckius p. 16 sq. emendatiunculas quibus verba sanissima sanare studuerunt viri docti nihil opus est enumerare. in verbis subsequentibus, quibus rex imperat ut arma ad proelium necessaria sibi praebeantur, mendum aliquod inesse plerique contenderunt. sed traditam lectionem recte iam Schneiderus explicavit provocans ad Iliad. 3, 330. 11, 17. Hesiod. Scut. 122. ex iis quae monui efficitur regis orationem porsus integram esse.

Longe aliud est iudicium de nuntii oratione multifariam corrupta. iam in primis speculatoris verbis offendimur, quae sic sonant:

v. 614. *τὸν ἕβδομον δὴ τόνδ' ἐφ' ἑβδόμαις πύλαις*
λέξω, τὸν αὐτοῦ σοῦ κασίγνητον κτλ.

voculam *τόνδε*, qua enuntianda digito Polynicem notare, quod ab hoc loco alienissimum est, nuntius cogitandus esset, optimo iure a Brunckio suspectam frustra Hermannus defendit; quod omnes perspiciunt: scribendum esse *τὸν πρὸς ἑβδόμαις πύλαις* recte viderunt Dindorfius et Heimsoethius, quibus Weilius et Kirchhoffius assentiuntur: scripsit aliquis librarius per incuriam *ἐφ'* pro *πρός*, quod postea legens nescio quis, ut metro corrupto consuleret, *τὸν* in *τόνδ'* mutavit. permultas minus probabiles coniecturas protulerunt viri docti, qui omnes, cum haesitarent in illa levioris momenti corruptela, gravissimae corruptelae indicia non indagaverunt: nam quamquam verba *τόνδ' ἐφ' ἑβδόμαις πύλαις* vel potius *τὸν πρὸς ἑβδ. π.* postulant aliquod participium ad quod referantur, quamquam desideratur nomen portae septimae, quam perinde atque caeteras a nuntio nominatim appellatum iri expectandum est, tamen nemo umquam, quantum scio, vidit inter v. 614 et v. 615 unum versum excidisse, qui necessaria illa participium et portae nomen continebat. sed dixerit aliquis, si Euripides in Phoenissis portae septimae nomen a nuntio non memorari fecerit v. 1134 *ταῖς δ' ἑβδόμαις Ἄδραστος ἐν πύλαισιν ἦν — ἑκατὸν ἐχίδναις ἀσπίδ' ἐκπληρῶν κτλ.*, idem etiam Aeschylo licuisse; contra quem moneo, quod Euripidis festinationem decet, qui significavit potius et quasi adumbravit, quam quisque Argivorum dux portam sortitus esset, id non decere gravitatem Aeschyli, qui, quod more epicorum disertius omnia enarrantem fecerit nuntium, ab ipso Euripide videtur vituperari versu 751 *ὄνομα δ' ἑκάστου*

διατριβὴ πολλὴ λέγειν — ἐχθρῶν ὑπ' αὐτοῖς τείχεσιν καθημένων. quaeritur quod portae septimae nomen fuerit. errat Spanhemius de portis Ogygiis cogitans, quas Aeschylus v. 469 *πύλας Ὄγκας Ἀθάνας* dicit: legitur enim apud Hesychium *Ὄγκας Ἀθηνᾶς· τὰς Ὠγυγίας πύλας λέγει*; vid. Valcken. ad Eurip. Phoen. 1130. Porson. ad Phoen. v. 1150. Boeckh. CJG I p. 77. Nr. 48. quod autem Apollodorus (bibl. 3, 6, 6) discernit portas *Ὠγυγίας* et *Ὀγκαΐδας*, nihil valet cum omittat portas *Νηΐστας* vel *Νηΐτας* Aeschylo Euripidi Pausaniae Statio memoratas. portas *Ὑψίστας*, ad quas Polynicem constitutum fuisse tradit Apollodorus, easdem esse docuit Ungerus (Thebana paradoxa 1, 333) atque *Βορραίας*, quas Parthenopaeum aggredientem facit Aeschylus. recte videtur iudicasse Weilius qui putat septimam portam eam esse quam *πύλας Κρηναίας* dixerunt Euripides Phoen. 1123, Aristodemus in schol. ad Phoen. 1156, Pausanias IX p. 727, *Κρηνίδας* Apollodorus l. l. itaque si mihi licet versum confingere, sic fere Aeschylum scripsisse putaverim:

614. *τὸν ἕβδομον δή, τὸν πρὸς ἑβδόμαις πύλαις*
* *ταχθέντα Κρηναίαισι προσβαλεῖν λόχον,* *
615. *λέξω, τὸν αὐτοῦ σοῦ κασίγνητον, πόλει*
616. *οἵας γ' ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας·*

etiam versus subsequentes mendo quodam adhuc non sanato laborare mihi extra dubitationem positum est; sonant autem sic:

617. *πύργοις ἐπεμβὰς κἀπικηρυχθεὶς χθονί,*
ἁλώσιμον παιᾶν' ἐπεξιακχάσας,
σοὶ ξυμφέρεσθαι καὶ κτανὼν θανεῖν πέλας,
620. *ἢ ζῶντ' ἀτιμαστῆρα τὼς ἀνδρηλάτην*
φυγῇ τὸν αὐτὸν τόνδε τίσασθαι τρόπον·

in versu 620 multa temptarunt viri docti scribentes aut *ζῶν* pro *ζῶντ'* aut *σῶς*, *ὅπως*, *θ' ὥς τ'* alia pro *τώς*, contra quos verba tradita rectissime sese habere bene monuit Ritschelius op. 1, 322, qui in eo errat, quod in praecedenti versu cum Schuetzio (*καὶ κτανεῖν θανὼν πέλας* coniciente) rem primariam, Eteoclis mortem, infinitivo, rem secundariam, Polynicis mortem, participio enuntiandam esse putat. non rectius se habet, quod Ritschelius miratur cur eum pugnae eventum, ut fratre interfecto ipse superstes esset, Polynices non memoraverit; nam recte monuerunt Keckius Weilius Richterus Polynicem de duabus tantum condicionibus cogitare, aut si pugnaverit secum frater, ambo fortasse ut cadant futurum esse, aut si frater certamen evitaverit, se eum in exilium missurum esse. in eo autem optimo iure offendisse Ritschelium omnes concedent, quod Polynicis execrationes gravissimis verbis inductae non in oratione recta referuntur, sed nimis languide et frigide e verbis *οἵας ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας* pendent. itaque quoniam oratio verbum finitum postulat, Ritschelius sibi persuasit in versu 619, quem pro corrupto habebat, lacunam statuendam esse, quam hoc modo explet:

619 a. *σοὶ ξυμφέρεσθαί [φησιν, αὐτουργῷ χερὶ*
b. *λελιμμένος] κτανεῖν σε καὶ θανὼν πέλας,*
620. *ἢ ζῶντ' ἀτιμαστῆρα τώς σ' ἀνδρηλάτην*
φυγῇ τὸν αὐτὸν τόνδε τίσασθαι τρόπον.

sed cum neque Schuetzii coniectura *καὶ κτανεῖν θανὼν πέλας* neque Ritschelii altius repetitum commentum *κτανεῖν σε καὶ θανὼν πέλας* interpretationem admittat nisi hanc 'Polynices post-

quam mortem obiit, fratrem interficere vult', quod absurdum est. verba autem tradita καὶ κτανὼν θανεῖν πέλας eum qui expectatur sensum praebeant, in hoc versu neque corruptelae neque lacunae indicia reperiri possunt. aliter alii orationem directam restituere studuerunt. Dindorfii coniectura, qui scribit:

617. πύργοις ἐπεμβὰς κἀπικηρυχθεὶς χθονὶ
ἁλώσιμον παιᾶν' ἐπεξιάκχασεν, κτλ.

probari non potest, quia necdum turres expugnavit Polynices nec rex proclamatus est. Weilius inter v. 619 et v. 620 unum versum excidisse ratus sic fere Aeschylum scripsisse censet:

619. σοὶ ξυμφέρεσθαι καὶ κτανὼν θανεῖν πέλας
* ὑπ' αὐτόχειρος αὐτόχειρ ἐφίεται *
620. ἢ ζῶντ' ἀτιμαστῆρα τὼς ἀνδρηλάτην κτλ.

Richterus, cuius verbis nobis liceat uti, sic disputat p. 21: 'Polynices fratri sese occursurum in oppugnatione urbis ipsa atque cum eo pugnaturum esse sperat. quid tandem opus est, si iam urbs capta et Polynices victor proclamatus est, fratres de principatu certare, atque Polynicem hoc certamen adeo cupere, ut hac condicione ipse mortem subire non vereatur? ut autem haec verba nullo modo cum sequentibus concentum servare possunt, sic cum antecedentibus bene consonant, dummodo pro ἐπεξιακχάσας substituatur ἐπεξιακχάσαι. verba enim sic deinceps sequuntur:

λέξω . . . . πόλει
οἵας ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας,
πύργοις ἐπεμβὰς κἀπικηρυχθεὶς χθονὶ
ἁλώσιμον παιᾶν' ἐπεξιακχάσαι.

apparere puto, nunc et καὶ et ἐπικηρυχθεὶς, de quibus viri docti dubitaverunt, recto talo stare. post ἐπεξιακχάσαι arbitror versum huius fortasse argumenti:

αὐτὸς δ' ἐρᾷ μαινόμενος ἐν μάχῃ δορός

excidisse, cui bene adnectuntur:

σοὶ ξυμφέρεσθαι καὶ κτανὼν θανεῖν πέλας,
ἢ ζῶντ' ἀτιμαστῆρα τώς σ' ἀνδρηλάτην
φυγῇ τὸν αὐτὸν τόνδε τίσαθαι τρόπον.'

Martinus, iisdem causis ductus, ante Richterum idem fere statuit p. 54 sq.:

616. οἵας γ' ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας,
617. πύργοις ἐπεμβὰς κἀπικηρυχθεὶς χθονὶ
618. ἁλώσιμον παιᾶν' ἐπεξιακχάσαι.
* σοὶ δ' αὖτε δείν' ἐπεγχέας ἐπεύχεται *
619. σοὶ ξυμφέρεσθαι καὶ κτανὼν θανεῖν πέλας κτλ.

quae omnia cum argumentis idoneis careant, nobis longe alia via videtur esse ingredienda. in gravissimum errorem inciderunt Martinus et Richterus: quomodo enim Polynices facere potest ut fratrem, a quo in exilium missus erat, eodem poena afficiat nisi postquam urbe capta ipse victor et rex proclamatus est? actum est de illorum virorum doctorum opiniunculis. id ipsum studet ostendere Aeschylus quo insaniae Polynices fratris odio inflammatus progressus sit, quippe qui, dummodo urbe, unde natus est, armorum vi expugnata rex et victor proclamatus esset, gestiret aut cum fratre manus conserere, quo proelio nefasto utrumque secundum patris diras

interiturum esse scit, aut, si frater proelium evitaturus esset, turpiter eum e regno patriaque expellere. habes igitur gravissimam dignissimamque tragicorum Graecorum principe sententiam, quam, nemo interpretum, quod sciam, perspexit, nemo certe dilucide exposuit. atque hoc quidem rectissime iudicavit Ritschelius verbo finito opus esse ut Polynicis execrationes et minae, ut par est, in oratione directa enuntientur; quod autem viri docti sedem corruptelae vel lacunae late patentis, in versu sanissimo quoque offendentes coniecturasque audacissimas temptantes, non indagaverunt, maximopere miror. interpretantur verba ἐπικηρυχθεὶς χθονὶ 'rex proclamatus terrae', quare autem factum sit, ut verbum ἐπικηρύττειν, quod nihil aliud significat nisi 'per nuntium proclamare' hoc loco 'aliquem regem proclamare' significaret, non exponunt; quod videtur intellexisse Keckius, qui Hesychii glossam citans ἀποκήρυκτος ὁ ἐπὶ ἁμαρτήμασιν ἐκπεσὼν τῆς πατρῴας οἰκίας partim e codicis Parisini L (Hermann.) lectione sic scribit κἀποκηρυχθεὶς χθονός: Keckii coniecturam, licet ab huius loci sententia alienissima sit, Weilius ita comprobat, ut scribat πύργοις ἐπεμβὰς, ἀποκηρυχθεὶς χθονὸς κτλ. quae commenta non opus est refellere. nego verba ἐπικηρυχθεὶς χθονὶ eum sensum, quem eruerunt viri docti, admittere, non nego, quod negari non potest, illum sensum hoc loco necessario postulari. itaque efficitur post v. 617 unum versum excidisse, in quo et verbum βασιλεὺς vel simile aliquod et verbum finitum, e quo infinitiva ξυμφέρεσθαι, θανεῖν, τίσασθαι pendere cogitanda sunt, inerant. iam inserto versu exempli gratia conficto sic optime oratio sese habebit:

615. λέξω, ... πόλει
οἵας γ' ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας·
πύργοις ἐπεμβὰς κἀπικηρυχθεὶς χθονὶ
* πατρίᾳ τύραννος, ἧς ἀπηλάθη, λέγει *
ἁλώσιμον παιᾶν' ἐπεξιακχάσας
σοὶ ξυμφέρεσθαι καὶ κτανὼν θανεῖν πέλας
620. ἢ ζῶντ' ἀτιμαστῆρα τὼς ἀνδρηλάτην
φυγῇ τὸν αὐτὸν τόνδε τίσασθαι τρόπον.

in versibus 622 usque ad v. 631 nihil inest, quo offendamur. quod Keckius, ut nuntii oratio totidem quot regis responsum versus contineret, sibi excogitavit post v. 631 versum huius fere argumenti excidisse *αὐτός γ' ἑαυτῷ τοι ξυνίστησιν Δίκην*, non habere quo commendetur quivis concedet: haec est libido iudicandi. optimo autem iure Ritschelius et post eum, quod sciam, omnes in versibus orationis ultimis offenderunt, qui sic sonant:

632. τοιαῦτ' ἐκείνων ἐστὶ τἀξευρήματα.
σὺ δ' αὐτὸς ἤδη γνῶθι τίνα πέμπειν δοκεῖ·
ὡς οὔποτ' ἀνδρὶ τῷδε κηρυκευμάτων
635. μέμψῃ, σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι ναυκληρεῖν πόλιν.

Ritschelius cum videret necesse esse speculatorem de Polynice loqui desinere antequam de omnibus Argivorum ducibus universe diceret, versum 632 post v. 633 collocavit, quod ante eum fecerat Prienius, et cum sentiret versui 631 ἕξει πατρῴων δωμάτων τ' ἐπιστροφάς non bene adnecti versum 633 σὺ δ' αὐτὸς ἤδη γνῶθι τίνα πέμπειν δοκεῖ, ante hunc unum versum excidisse sibi persuasit; praeterea in versu 635 verba illa frigide repetita σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι non Aeschyli, sed librarii incuriae deberi atque pro iis τὸ σὸν δ' οὖν ἐστι vel locutionem similem aliquam substituendam esse recte videtur iudicasse. e Ritschelii igitur sententia talia fere scripserat Aeschylus:

* οὕτως ὁ τοῦδε κόμπος εἰς σὲ μαίνεται· *
633. σὺ δ' αὐτὸς ἤδη γνῶθι, τίνα πέμπειν δοκεῖ.
632. τοιαῦτ' ἐκείνων ἐστὶ τἀξευρήματα.
634. ὡς οὔποτ' ἀνδρὶ τῷδε κηρυκευμάτων
635. μέμψῃ· τὸ σὸν δ' οὖν ἐστι ναυκληρεῖν πόλιν.

contra Ritschelium monendum est, quod contra Prienium monuerat Engerus, sic orationem nuntii duas clausulas habere alteram ad solum Polynicem alteram ad omnes Argivorum duces spectantem, quas ambas ferri non posse nemo non videt. quod perspicientes Richterus p. 39 sq. et ante eum ab eo non memoratus Paleius versum 633 eiciendum esse statuerunt; Dindorfius, ut decuit audaciorem criticum, deletis versibus 632. 633 eorum loco versum a se fictum substituit: **καὶ δὴ λέλεκται πάντα τ' ἀντεσταλμένα** (cf. Soph. frg. 411). sed non est in exilium mittendus v. 633, quippe qui, quod bene observavit Martinus p. 55, ab Aristophane Avv. 1162 sq. per ludibrium sic detorqueatur:

. . . . ἀλλ' ἐγὼ μὲν ἀποτρέχων
ἀπονίψομαι· σὺ δ' αὐτὸς ἤδη τἄλλα δρᾶ.

quomodo autem tandem ex his laqueis nos extricabimus? extra dubitationem positum est in versu 632 corruptelam inesse: nam verba *ἐκείνων τἀξευρήματα* non admittunt eam interpretationem, in quam Lowińskius (in Fleckeiseni annal. 81, 699) incidit qui putat *ἐκείνων* referendum esse ad illa *γράμματα* in versu 629 memorata; neque concedi potest Martino verba *γνῶθι τίνα πέμπειν δοκεῖ* ad omnes Thebanorum duces spectare quos contra Argivos constituerat Eteocles. restat igitur, ut verbum illud futile *ἐκείνων* ita mutetur ut ad Polynicem solum referri possit, quod facillime efficietur si scribemus *ἐκείνῳ γ'* vel *ἐκείνου γ'* de quo iam Lowińskius cogitavit. aptissime sic orationem claudit nuntius:

632. τοιαῦτ' ἐκείνῳ γ' ἐστὶ τἀξευρήματα·
σὺ δ' αὐτὸς ἤδη γνῶθι τίνα πέμπειν δοκεῖ.
ὡς οὔποτ' ἀνδρὶ τῷδε κηρυκευμάτων
μέμψῃ, τὸ σὸν δ'οὖν ἐστι ναυκληρεῖν πόλιν.

ultima verba recte interpretatus est Roehleckius p. 14.

Itaque postquam ea menda levioris momenti, quae insunt in versibus 614. 632. 635, expulsa et lacunae, quas statuendas esse post v. 614 et v. 617 certis argumentis demonstravimus, expletae sunt, iam nuntii oratio ab initio ad finem usque optime procedit.

Continet utraque septimi paris oratio 24 versus.

Ex iis quae de primo altero quarto sexto septimo paribus diximus evincitur eorum uniuscuiusque singulas orationes ad severas artis criticae leges et sine animi praesumptione examinatas parem versuum numerum praebere. quam orationum responsionem assecuti sumus nullis ob eam ipsam evincendam statuendis lacunis interpolationibusque: nam quas statuimus lacunas et interpolationes perpaucas, eae omnes necessario statuendae sunt etiam si eis deleretur potius quam restitueretur illa aequabilitas. quinquies autem fortuito evenisse ut singulae orationes inter sese responderent quoniam nemo qui sano iudicio utatur sibi poterit persuadere, nobis extra omnem dubitationem positum est ea paria quae adhuc percensuimus ita ab Aeschylo consulto instituta esse ut uniuscuiusque paris oratio altera eundem versuum numerum contineret atque altera. iam videbimus de paribus tertio et quinto.

In pari tertio nuntii oratio prorsus integra est. nam quod Keckius versu 448 offensus *τρόπον* mutat in *τροχὸν* et post hoc verbum unum versum participium aliquod ad illud *τροχὸν* referendum continentem excidisse putat, absurdius est quam quod multis mihi sit refellendum; recte autem videtur Weilius *σεσημάτισται* scripsisse pro *ἐσχημάτισται*.

Eo maiores scrupulos viris doctis regis responsum iniecit. atque in hoc quidem vv. 457 sqq. usque ad finem bene procedunt; offensiones praebent versus 455. 456, quibus orationi suae ingressum parat Eteocles. sonant autem sic:

455. πέμποιμ' ἂν ἤδη τόνδε σὺν τύχῃ δέ τῳ
456. καὶ δὴ πέπεμπτ' οὐ κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων,
457. Μεγαρεὺς Κρέοντος σπέρμα τοῦ σπαρτῶν γένους κτλ.

verba absurda *πέπεμπτ' οὐ* recte ita emendant ut scribatur *πέπεμπται*. mira et dubitationi obnoxia sunt verbum *τόνδε*, verba *σὺν τύχῃ δέ τῳ*, verba *κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων*. atque primum quidem verbum *τόνδε* cum neque eam interpretationem admittat, qua Megareum in scena adesse cogitemus, qua de re iam supra diximus, neque eam, quae quamvis a Ritschelio op. 1, 344 certis argumentis confutata tamen post eum a Martino p. 41 repetita est, ut *τόνδε* referatur ad nuntii verba *καὶ τῷδε φωτὶ πέμπε τὸν φερέγγυον*, corruptum esse intellegitur; recte, de quo nemo hodie dubitat, Ritschelius scribi iusserat *τῷδε*, quod verbum ad Argivum ducem spectat. verba *σὺν τύχῃ δέ τῳ* ambigunt viri docti utrum cum verbis praecedentibus *πέμποιμ' ἂν ἤδη τῷδε* an cum subsequentibus *καὶ δὴ πέπεμπται* coniungenda sint. Dindorfius qui ante v. 457 octo versus excidisse, versus autem 455. 456 ab interpolatore aliquo ad orationis hiatum removendum confictos esse censuit, non vereor ne ulli qui sane iudicare didicerit persuadeat; nam profecto verba *πέμποιμ' ἂν ἤδη* et *καὶ δὴ πέπεμπται* cum eximia quadam gravitate inter se opposita et sublimis illa locutio *κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων* non sapiunt interpolatorum inficetiam. idem monendum est contra Richterum, qui vv. 455. 456 ei tribuit a quo post Aeschyli mortem fabulam Sept. retractatam et correctam esse putat. etiam Keckii et Weilii commenta qui inter v. 455 et v. 456 lacunam statuendam esse sibi persuaserunt, asciscere vetamur artissimo sententiarum conexu qui inter v. 455 et v. 456 intercedit; quae quidem opinio confirmatur locis simillimis qui leguntur in Eumen. 874 sqq.:

ΧΟ. ἄνασσ' Ἀθάνα, τίνα με φῂς ἕξειν ἕδραν;
ΑΘ. πάσης ἀπήμον' οἰζύος· δέχου δὲ σύ.
ΧΟ. καὶ δὴ δέδεγμαι· τίς δέ μοι τιμὴ μένει; κτλ.

et Suppl. 420 sq.: ΧΟ. τάδε φράσαι δίκαια Διόθεν κράτη.
ΒΑ. καὶ δὴ πέφρασμαι· δεῦρο δ' ἐξοκέλλεται κτλ.

Roehleckius verba *σὺν τύχῃ δέ τῳ* cum subsequentibus coniungenda esse ratus locum sic interpretatur p. 8 'ait rex sese nunc cum antea audiverit nuntii narrationem, si quem liceat eligere, nullum alium esse oppositurum nisi Megareum. neque minus in verbis subsequentibus, quae sic verto „sed casu quodam secundo etiam revera in eum missus est Megareus", omnia bene se habent: nam vocabula *σὺν τύχῃ τῳ* cum sequentibus coniuncta eundem fere sensum habent atque enuntiatum illud in regis oratione quarta positum *Ἑρμῆς εὐλόγως συνήγαγεν.*' cui interpretationi multa obstant gravissima argumenta: neque enim recte explicat Roehleckius locutionem *σὺν τύχῃ τῳ* 'casu quodam', quod Graece dicendum erat omissa praepositione *τύχῃ τῳ*, neque recte vocabula *καὶ δὴ* expressit 'etiam revera', neque verborum *Ἑρμῆς δ' εὐλόγως*

ξυνήγαγεν vim perspexit. nam in quarta oratione non hoc dicit Eteocles, casu quodam Hippomedontem et Hyperbium commissos esse, sed in verbo *εὐλόγως* ea inest vis ut rex dicat 'Mercurius consulto eos ita commisit ut spes sit Hyperbium victurum esse', quod subsequenti scutorum descriptione satis illustratur. possunt certe haec verba cum nostro loco conferri, sed non recte conferrentur, si verba *σὺν τύχῃ τῳ* cum sensum haberent quem Roehleckius sibi videtur evicisse. admittunt autem nullam aliam interpretationem nisi 'cum eventu quodam' i. e. 'cum spe quadam boni eventus'. porro in verbis *καὶ δὴ* significationem 'revera' implicite inesse non nego, sed per se ea nihil aliud significant atque '(et) iam', quod permultis potest illustrari exemplis: cf. locos Eumenidum et Supplicum fabularum supra memoratos; alia dabit exempla Hermannus ad Vig. 301b. Roehleckii igitur sententia probari nequit. verba *σὺν τύχῃ δέ τῳ* cum versu sequenti coniungere nos vetat id, quod nulla causa invenitur cur non statim verbis *πέμποιμ' ἂν ἤδη* Eteocles Megarei nomen aduexuerit, sed interpositis verbis *σὺν τύχῃ δέ τῳ — πέπεμπται κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων* tandem enuntiarit; quod videtur is librarius intellexisse, qui cum sentiret *πέμποιμι* accusativum postulare *τῷδε* in *τόνδε* mutavit. itaque apparet, nisi volumus pro volneribus emplastra et foedissimas cicatrices relinquere, locum corruptissimum sic interpungendum esse:

455. *πέμποιμ' ἂν ἤδη τῷδε, σὺν τύχῃ δέ τῳ.*
καὶ δὴ πέπεμπται, κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων,
Μεγαρεὺς κτλ.

quo facto omnes corruptelae facillime perspiciuntur: frusta quaerimus aliquod nomen quod e verbo *πέμποιμι* pendeat, frustra quaerimus, qualem *σὺν τύχῃ τῳ*, quae verba intellegi non possunt, Eteocles missurus sit, frustra quaerimus verbum *κόμπος* vel *κομπάζειν* vel simile aliquod de Eteocle Argivorum duce dictum, cui verba *κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων* non sine gravitate quadam enuntiata opposita sint. efficitur igitur ante v. 455 excidisse aliquot verba quibus verba sequentia, quae nunc non possunt explicari, illustrabantur; quod primus vidit Ritschelius. idem recte iudicavit debere Eteoclem ad hostis minas, qui in scuto viri imaginem gerebat clamantis ne a Marte quidem ipso se e turribus expulsum iri (v. 451), dicere se sperare Martem, antiquitus Thebanorum patronum, viro impio restiturum esse:

cf. v. 102 sqq.: *τί ῥέξεις; προδώσεις, παλαίχθων*
Ἄρης, τὰν τεάν;
ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ' ἔπιδε πόλιν,
ἅν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου, (cf. schol.)
et v. 125 sq.: *σύ τ' Ἄρης φεῦ φεῦ ἐπώνυμον Κάδμου πόλιν*
φύλαξον κήδεσαί τ' ἐναργῶς.

quod ut probaret, debebat Ritschelius conferre vv. 411 sqq. 425 sqq. et vv. 470. 484 et vv. 629 sqq. 645 sqq. nihili esse quae contra monuit Roehleckius p. 7 sq. quivis intellegit. accedit quod omnes Eteoclis orationes ita instituit Aeschylus ut ille primum de duce Argivorum diceret, deinde de duce Thebano illi restituro: veri igitur simile est etiam hanc orationem eadem ratione compositam esse. nunc quaeritur, qualem tandem virum 'cum spe boni eventus' (*σὺν τύχῃ τῳ* v. 455) missum iri Eteocles speret et quo iure talem iam missum esse dicat, Megareum. mihi manifestum esse videtur, cum Megareus '*σπέρμα τοῦ σπαρτῶν γένους*' natus e gente Spartorum,

qui e dracone illo Martis filio quem Cadmus interfecerat originem ducebant, dicatur, versuum qui exciderunt hoc fuisse argumentum: *ἐλπίζω Ἄρην αὐτὸν ἐπὶ τοῦτον τὸν ἄνδρα, ὃς οὕτως ἀνόσιον κόμπον κομπάζων εἰς αὐτὸν ἀσεβεῖ, τῇ ἡμετέρᾳ πόλει εὐσεβεῖ οὔσῃ βοηθήσειν, ἐν ᾗ πολλοί εἰσιν ἐξ αὐτοῦ γεγενημένοι. τούτων οὖν τινα*

πέμποιμ' ἂν ἤδη τῷδε, σὺν τύχῃ δέ τῳ.
καὶ δὴ πέπεμπται, κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων,
Μεγαρεὺς Κρέοντος σπέρμα τοῦ σπαρτῶν γένους.

quod Ritschelium de hoc loco sagacissime iudicantem non perspexisse miror. quot versus exciderint, sciri non potest; sed cum versuum deperditorum argumentum, quod quale fuerit satis dilucide nobis videmur exposuisse, ad faciendos sex versus, qui desiderantur ut regis responsum parem atque nuntii oratio versuum numerum praebeat, satis amplum sit neque possit ulla causa reperiri, cur in hac regis oratione componenda aliis rationibus Aeschylus usus sit atque in orationibus prima secunda quarta sexta septima, quas ita institutas esse ut totidem atque nuntii orationes continerent versus extra dubitationem positum est, verisimile est sex versus excidisse. quae opinio confirmatur duobus gravissimis argumentis. atque primum quidem eum, qui versus nonnullos e tertia regis oratione deperditos esse intellexerit, si sine animi praesumptione et paris praecedentis et paris subsequentis orationes singulas totidem quot tertiam nuntii orationem, quae in libro manu scripto prorsus integra traditur, versus continere secum cogitaverit, quoniam paria alterum tertium quartum ab Aeschylo omnino exaequata fuisse manifestum est, eum igitur spero concessurum esse sex versus omissos esse. alterum argumentum hoc est: satis recte observavit Keckius l. c. p. 817, unumquodque par orationum ita institutum esse, ut quoto versu nuntius ducis hostilis scutum describere inciperet, toto Eteocles de duce Thebano contra illum constituto inciperet loqui: in primo pari est v. 370 *ἔχει ὑπέρφρον σῆμ' ἐπ' ἀσπίδος τόδε* nuntii versus decimus a fine, cui respondet versus decimus (a. f.) responsi *ἐγὼ δὲ Τυδεῖ κεδνὸν Ἀστακοῦ τόκον* (*ἀντιτάξω*); in altero pari est v. 415 *ἔχει δὲ σῆμα γυμνὸν ἄνδρα πυρφόρον* quintus a fine, cui respondet v. 430 *ἀνὴρ δ' ἐπ' αὐτῷ, κεἰ στόμαργός ἐστ' ἄγαν*; in quarto pari v. 472 *ἅλω δὲ πολλήν, ἀσπίδος κύκλον λέγω* est duodecimus a. f., cui respondet (remotis versibus interpolatis 498. 500—503) v. 487 *Ὑπέρβιος δὲ κεδνὸς Οἴνοπος τόκος*; in pari sexto est v. 573 *τοιαῦθ' ὁ μάντις ἀσπίδ' εὔκυκλον νέμων* septimus a. f., cui respondet (versu 602 suo loco reddito) v. 603 *ὅμως δ' ἐπ' αὐτῷ φῶτα, Λασθένους βίαν*; in pari septimo, cuius causa prorsus singularis est, quoniam Eteocles ridicule media in oratione diceret sibi cum fratre pugnandum fore, hac orationes distribuendi ratione uti non poterat poëta; de pari quinto postea videbimus. in pari tertio, quod nunc tractamus, est v. 448 *ἐσχημάτισται* (vel potius *σεσημάτισται*) *δ' ἀσπὶς οὐ μικρὸν τρόπον* septimus a fine orationis speculatoris, versus 457 *Μεγαρεὺς Κρέοντος σπέρμα τοῦ σπαρτῶν γένους* septimus a fine responsi regis. itaque quoniam nemo potest negare tertii paris orationes singulas eadem atque caeteras ratione ab Aeschylo esse compositas et dispositas, lacunae quam ante v. 455 statuendam esse probavimus sex versus tribuendos esse evincitur.

continet utraque oratio 15 versus.

Venit disputatio ad quintum par orationum, quod, ut est omnium difficillimum, permultis virorum doctorum tentaminibus temeratum est.

Atque primum quidem nuntii orationis clausulam a Heimsoethio p. 445 declamationibus potius quales in rhetorum scholis audiuntur quam argumentis defensam ferri non posse constat. sonat autem sic:

528. *ἐλθὼν δ' ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην,*
μακρᾶς κελεύθου δ' οὐ καταισχυνεῖν πόρον,
530. *Παρθενοπαῖος Ἀρκάς· ὁ δὲ τοιόςδ' ἀνήρ,*
μέτοικος Ἄργει δ' ἐκτίνων καλὰς τροφάς,
πύργοις ἀπειλεῖ τοῖςδ' ἃ μὴ κραίνοι θεός.

recte iudicarunt viri docti neque nomen Parthenopaei multo antea enuntiandum hic descriptioni scuti subnecti posse neque verbum *τοιόςδε* intellegi neque versu 532 totam orationem claudi. Dindorfii autem opinioni, qui, ut est audacissimus, deletis versibus 530—532 post v. 509 hunc versum excidisse putat *Παρθενοπαῖον Ἀρκάδ', Ἀταλάντης γόνον*, duo obstant argumenta: neque inter v. 509 et v. 510 versus ille interponi potest, quippe quo verba *πέμπτον* et *πέμπιαισι* artissime cohaerentia et consulto inter se opposita dirimantur (cf. v. 441 *τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος* et v. 614 *τὸν ἕβδομον δὴ τὸν πρὸς ἑβδόμαις πύλαις*), neque in versibus 530 sqq. quidquam reperitur quod Aeschyli ingenio non dignum sit vel interpolatorem redoleat. Ritschelius cum sibi persuasisset verbum *Παρθε̄νοπαῖος* propter secundae syllabae inauditam mensuram, de qua supra diximus, versum incipere non posse et post v. 511 Parthenopaei nomen memorandum esse versumque 532 aptissime versu 512 excipi, orationis initium sic conformavit:

509. *οὕτως γένοιτο. τὸν δὲ πέμπτον αὖ λέγω,*
510. *πέμπταισι προσταχθέντα Βορραίαις πύλαις,*
511. *τύμβον κατ' αὐτὸν Διογενοῦς Ἀμφίονος,*
530a. *[ἥβῃ πρέποντα] Παρθενοπαῖον Ἀρκάδα.*
532. *πύργοις [δ'] ἀπειλεῖ δείν', ἃ μὴ κραίνοι θεός·*
512. *ὄμνυσι δ' αἰχμὴν ἣν ἔχει μᾶλλον θεοῦ κτλ.*

alteram autem partem versus 530 una cum versu subsequenti inter v. 527 et v. 528 interposuit, cum subiecti mutatione in verbis *ἐνώμα — φέρει — ἐλθὼν ἔοικεν* (v. 525. 526. 528.) offenderetur:

526. *φέρει δ' ὑφ' αὑτῇ φῶτα Καδμείων ἕνα,*
527. *ὡς πλεῖστ' ἐπ' ἀνδρὶ τῷδ' ἰάπτεσθαι βέλη*
530b. *[βληθέντα τοῦ φέροντος·] ὁ δὲ τοιόσδ' ἀνήρ,*
531. *μέτοικος Ἄργει δ' ἐκτίνων καλὰς τροφάς,*
528. *ἐλθὼν ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην κτλ.*

sed in hac subiecti mutatione nihil inesse offensionis recte monet Dindorfius, cum femininum *αὑτῇ* in v. 526 et masculinum *ἐλθὼν* in v. 528 nihil ambiguitatis relinquant. neque rectius sese habet orationis initium quale Ritschelius conformavit: nam cum nomen *Παρθενοπαῖος*, quoniam Aeschylus anapaestum nisi in primo pede non admittit, versus initium servare necesse est tum versus 530—532 optime cohaerentes dirimere non licet. huc accedit quod poëta et describendis iuvenali pulchritudine origineque fabulosa Parthenopaei et minis eius ingentibus enarrandis spectatorum expectationem moturus tum demum in fine nomen ipsum enunciasse cogitandus est. iam videmus recte iudicasse Kirchhoffium, qui versus 530—532 post v. 520 transponi iussit:

519. *ὃ δ' ὠμόν, οὔτι παρθένων ἐπώνυμον*
520. *φρόνημα, γοργὸν δ' ὄμμ' ἔχων, προσίσταται,*
530. *Παρθενοπαῖος Ἀρκάς· ὁ δὲ τοιόσδ' ἀνήρ,*
531. *μέτοικος Ἄργει δ' ἐκτίνων καλὰς τροφάς,*
532. *πύργοις ἀπειλεῖ τοῖσδ' ἃ μὴ κραίνοι θεος.*
521. *οὐ μὴν ἀκόμπαστός γ' ἐφίσταται πύλαις·*

hic, postquam nuntius universe de Parthenopaeo locutus est illiusque nomen verbis *οὔτι παρθένων ἐπώνυμον* significavit, recte necessarioque nomen ipsum additur; hic, cum descriptio diserta praecesserit, habet pronomen *τοιόςδε* quo explicetur: hic vv. 531. 532 artissimo sententiarum conexu coniuncti recto talo stant, quippe quibus ingentes Parthenopaei minae repetantur transitusque aptissimus ad alteram orationis partem paretur, qua signum Parthenopaei scuto insculptum nuntius descripturus est. facillime autem potuisse fieri ut verba *Παρθενοπαῖος Ἀρκάς — ἃ μὴ κραίνοι θεὸς* a librariis post v. 529 transponerentur, recte exposuit Roehleckius p. 20. in reliquis orationis versibus nihil inesse offensionis mihi extra dubitationem positum est: neque enim, cur inter v. 527 et v. 528 aliquot verba excidisse putandum sit, quod multis persuasum est, neque cur v. 529 ante v. 528, quod Keckius sibi excogitavit, collocandus sit, causam video. quod vero viri docti existimant post v. 529 clausulam binariam desiderari, qua ut in caeteris orationibus nuntius regem adhortatus sit ut idoneum contra Parthenopaeum ducem Thebanum constitueret, opinione praesumpta mihi videntur in errorem inducti esse; nihil, ni fallor, excidit: verba ipsa

ἐλθὼν δ' ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην,
μακρᾶς κελεύθου δ' οὐ καταισχυνεῖν πόρον

sunt clausula binaria, in qua implicite, ut dicunt philosophi, inest illa, quam desiderant, adhortatio. confer, si tanti est, orationis quartae clausulam

τοιοῦδε φωτὸς πεῖραν εὖ φυλακτέον·
φόβος γὰρ ἤδη πρὸς πύλαις κομπάζεται.

iam postquam lenissima medella adhibita nuntii oratio restituta est, percensebimus regis responsum. versus 536—545 optime procedunt. transimus ad illustrandum orationis initium

533. *εἰ γὰρ τύχοιεν ὧν φρονοῦσι πρὸς θεῶν*
534. *αὐτοῖς ἐκείνοις ἀνοσίοις κομπάσμασιν·*
535. *ἦ τἂν πανώλεις παγκάκως τ' ὀλοίατο.*

haec verba sic interpretatur scholiasta Mediceus *εἴθε γὰρ παρὰ θεῶν τύχοιεν ἐπαξίως ὧν φρονοῦσιν ἀνοσίων καὶ ἀλαζονεύονται, ἐπὶ τῶν ἀσπίδων κομπάσματα ἔχοντες.* qua interpretatione cum non explicaretur, quo sententiarum conexu cum his versibus versus subsequens *ἦ τἂν πανώλεις π. ο.* cohaereret, scholiasta recentior hanc explicationem proposuit: *εἰ γὰρ παρὰ τῶν θεῶν τύχοιεν ἐπαξίως ὧν φρονοῦσι καὶ ἀλαζονεύονται ἐπὶ τῶν ἀσπίδων κομπάσματα ἔχοντες, ὄντως ἂν οὗτοι παγκάκως ὀλοίατο Ο. Ρ. γρ. εἴ ἀντὶ τοῦ εἴθε. Λουκιανοῦ 'εἰ γὰρ γένοιτο.' εὐκτικὸν τὸ εἴ. πολὺ δὲ παρὰ Πλάτωνι τοῦτο.* P. quae omnia quamvis Hermanno probentur futilia esse post Ritschelii sagacissimam disputationem nemo negat. etiam si verbum *τύχοιεν* idem esset atque *πάθοιεν*, quod haud dubie non est, sive verba *εἰ γὰρ* ita ut interprètes iubent intellegantur sive, quod ut simplicius ita rectius videtur, conditionaliter dicta esse cogitentur, semper versus 535 *ἦ τἂν π. π. ὀ.* absurdissima et Aeschylo indignissima tautologia

esset, quae neque transponendis versibus 534. 535, quod Dindorfio placuit, neque post v. 533 lacuna huius fere argumenti *ὧν τ' ἐκδίκως βάζουσι τἀπιτίμια* statuenda, quod Martinus sibi excogitavit, removeri potest. inter verba *εἰ γὰρ τύχοιεν ὧν φρονοῦσι* et *ἦ τἂν ὀλοίατο* amplam lacunam esse statuendam extra dubitationem positum est; accedunt alia: cum *τυγχάνω ὧν φρονῶ* nihil aliud significet quam 'impetro quae cupio', Eteocles autem tam amens esse non cogitandus sit qui optet 'utinam (hostes) a diis impetrent quae cupiunt i. a. urbis nostrae expugnationem extinctionemque', efficitur voculam *εἴ* non optandi particulam, sed condicionalem esse; apparet igitur, quoniam in nuntii verbis nihil inest quo particula *γάρ* referatur, etiam ante v. 533 aliquid excidisse. quod plurali illo verbi *τύχοιεν* confirmatur, qui si revera a verbis *εἰ γὰρ τύχοιεν* rex orationem incepit, intellegi non potest: recte iudicarunt critici Eteoclem de omnibus hostium ducibus universe loqui, sed ne nimis ex abrupto oratio inferatur, necesse est de eis in praecedentibus dictum fuisse. temporum igitur iniuria deperierunt et orationis initium, cui ut confirmatio adnexa erat sententia condicionalis *εἰ γὰρ τύχοιεν* —, et huius condicionalis sententiae apodosis et ea sententia e qua efficiebatur spes Argivos turpiter perituros esse (*ἦ τἂν π. π. ὀ*). quot versus totus verborum circuitus continuerit, scire non possumus; quale autem fere fuerit argumentum, summa sagacitate quam omnes in eo admiramur enucleavit Ritschelius op. 1, 352. 358.

Accedit aliud. timide coniecit Prienius, quod mihi videtur quovis pignore contendi posse, Eteoclem spem enuntiasse Amphionem, ad cuius tumulum Parthenopaeus statutus est (v. 511), Thebanis auxilio venturum esse. nam versus 511 *τύμβον κατ' αὐτὸν Διογενοῦς Ἀμφίονος* post verba *προσταχθέντα Βορραίαις πύλαις* frigide et ridicule, quasi nesciret Eteocles ubi portae Borrhaeae sitae essent, positus est, nisi eo responsum Eteoclis Amphionem respiciens praeparare studuit Aeschylus. quid fere Eteoclem dicentem fecerit poëta, facile est intellectu 'Amphion urbem cuius moenia ipse construxit a Parthenopaeo defendet, qui tam impie se etiam invito Jove (v. 512 sq.) eam diruturum esse minatur.' cui sententiae aliquid tale adnexum fuisse opinor 'illum et caeteros hostes deorum ira, quam impietate sua movent, extinctum iri spero. nam, si quae cupiunt a diis ipsa illa impia iactatione impetrent (v. 533 sq.), deos aliquis dixerit iactatorum et scelestorum fautores esse. quales cum numquam a diis amati sint, sane illi funditus et turpiter interibunt (v. 535).' itaque, quoniam multos versus excidisse manifestum est, concedendum est, praesertim cum causa non reperiatur cur in quinti paris orationibus componendis alias atque in caeteris leges poëta sibi scripserit, regis responsum versuum numero nuntii orationi par ab Aeschylo profectum fuisse; quod cum per se veri simile est tum eo argumento confirmatur quod eadem atque in caeteris orationibus disponendi ratione etiam in hoc pari poëta usus est: est versus 521 *οὐ μὴν ἀκόμπαστός γ' ἐφίσταται πύλαις*, a quo nuntius signi scuto Parthenopaei insculpti descriptionem incipit, a fine nonus (versibus 530—532 suo loco redditis) itemque a fine responsi nonus est v. 537 *ἀνὴρ ἄκομπος, χεὶρ δ' ὁρᾷ τὸ δράσιμον*, (*Ἄκτωρ*) illum spectans, quo rex de duce Thebano contra Parthenopaeum constituto loqui incipit. exciderunt igitur undecim versus.

continet utraque oratio 24 versus.

Habemus igitur hos numeros: 20 : 20 str. 1, 15 : 15 antistr. 1; 15 : 15 str. 2, 15 : 15 antistr. 2; 24 : 24 str. 3, 29 : 29 antistr. 3; 24 : 24. versuum numeros libri scripti memoria traditos non mutavimus in orationibus parium primi secundi sexti neque in speculatoris orationibus

tertia quarta quinta neque in Eteoclis oratione septima. e nuntii oratione septima certissimis argumentis probavimus duos versus alterum post v. 614 alterum post v. 617 excidisse, quibus repositis nuntii oratio orationi regis exaequatur; oratio regis quarta, cuius amplitudinem vidimus deberi librariis qui interpolatoris cuiusdam ludibria in margine adscripta, quasi ab ipso Aeschylo profecta essent, in textum receperunt, deletis versibus 498. 500—503 par evasit nuntii orationi. ex initio tertiae regis orationis sex, ex initio quintae regis orationis undecim versus excidisse statuimus; quas coniecturas, licet audaciores videantur, rectas esse eis persuasum iri spero, qui, quae de paribus primo secundo quarto sexto septimo dixi, comprobaverint et concesserint, quod negari non potest, orationes regis tertiam et quintam mutilatas esse.

Druck von W. Pormetter in Berlin.